



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 8. De bono pastore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

MEDITATIONVM. 463

rationes diuinas libenter audias, & exequaris, signum est, te ex Deo esse; si secus fiat, signum est in gratia Dei te non esse, aut in numero predestinatorum.

3. Christus cum Samaritanus vocaretur (id est indignus ipsorum conuersatione) dissimulauit patitèter, quia erat tantum contumelia personę, & sensum bonum habere potest Samaritanus, id est, custos erat. At cū diceretur: *Demonium habes*, mitissime negat. *Demonium non habeo*. Vt in utroq; (si occasio ferat) imiteris.

4. *Non quero gloriam, &c.* Si vis haberi filius Dei: hoc indica quærendo Patris gloriã, non tuam, quam nonnulli furiose quærunt ac vindicant etiam cum sanguine proprio.

5. *Si quis sermonem meum seruauerit*, magna premissio atq; ab eo facta, qui nec falli nec fallere potest; maximè de Spirituali anima morte ac vita, vt non tantum uiuat, sed etiam felicissimè uiuat in æternum.



MEDITATIO VIII.

DE BONO PASTORE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit Iesus turbis: Ego sum pastor bonus: Bonus pastor ponit animã suam pro ouibus suis.* Ioan. 10.

II. *Mercenarius viso lupo dimittit oues & fugit.*

III. *Cognosco oues meas, & cognoscunt me mea*

me mee: alias oues habeo, illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

F I G V R Æ.

- Ge. 31. 38* 1. **I**acob seruiuit Laban annis 20. ea diligentia, vt æstu sæpe vteretur ac gelu, & somnus fugeret ab oculis eius, etiam si Laban 10. vicibus mercedem eius mutaret.
- 1. Re. 17.* 2. **D**avid pascens greges patris, non raro vitæ periculum adiit, vrsis ac leonibus sese opponens.

P R O P H E T I Æ.

- Isa. 40. II* **S**icut pastor gregem suum pascet in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, foetas ipse portabit.
- Pf. 22. I.* Dominus regit me & mihi nihil deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit.
- Eze. 34. 23.* Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascet eas.

D O C V M E N T A.

1. **P**astores sunt omnes superiores vt sunt Paterfamilias, Præceptor, Confessarius, cõcionator; & quibus ratione animæ suæ & potentiarum. Itaque prouidendum, vt officio suo fungatur.
2. **B**ONVS est PASTOR, qui suos pascit cibo corporali & spiritali; ite verbo & exemplo. Quis autem bonus, si sit simplex, humilis, in-

MEDITATIONVM. 465

nocens, utilis aliis, & patiens in aduersis.

3. *Animam ponit* pro ouibus, qui mundo & dæmoni se opponit, cohibendo intellectum, voluntatem ne peccato consentiant, eligendo potius mori, quam peccatum mortale: per visum, tactum &c. admittere.

4. *Mercenarius est*, qui non quærit in operibus suis (v. c. concionibus, lectionibus, frequentatione templi &c.) suam vel aliorum salutem, sed gloriam mundi & vanitatem.

5. *Lupo veniente fugit*, qui orta tentatione mundi, carnis &c. non adhibet ieiunia, vigiliis, cilicia, sed fugit pœnitentiam, sinens se à tentatione superari, deuorari: immo fit seruus Carnis, peccati &c. à quo enim quis superatus est, huius & seruus est. 2. Pet. 2. 19. Ioan. 8. Rom. 6.

6. *Tunc oues tuas cognosces*, si tuam imbecillitatem, imperfectiones, lapsusque quotidianos per examen explores; cognosceris vero ab eis, si omnes potentia ac sensus tui, voluntati ac rationi subiiciantur; & ipsa ratio subiiciatur Deo.



MEDITATIO IX.

DE MODICO HVIVS VITAE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit Iesus Discipulis: Modicum, & Ioan. 16. iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me; quia vado ad patrem. V 4 II. Dis-*